

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6881

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Sauveur-le-Vicomte, Saint-Sauveur-le-Vicomte (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1161]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Concession analogue à la précédente, avec des articles s'appliquant particulièrement au prieuré de Saint-Pierre de la Luthumière.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CXCVII, t. 1, p. 330-331.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 330.

Texte établi d'après a

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, omnibus archiepiscopis, [episcopis], comitibus, vicecomitibus, baronibus, et omnibus fidelibus suis Francis et Anglis, salutem. Sciatis me dedisse et concessisse Deo et abbacie Sancti Salvatoris de Constantino et monachis ibidem Deo servientibus omnem quietanciam pro anima Gaufridi patris mei de omnibus rebus et de werech et rebus propriis ejusdem ecclesie ubique per totam terram et in portibus maris et in omnibus mercatis meis et nundinis et civitatibus et castellis et villis ; et similiter de eis pasnagium suum de propriis suis in omnibus haiis et nemoribus meis. Hanc quietanciam eis concessi de propriis suis rebus in theloneis et in omnibus aliis consuetudinibus michi pertinentibus. Item notum sit omnibus fidelibus meis Francis et Anglis me dedisse predictae abbacie ut habeant molendinum in aqua que vocatur Unva ad Sanctum Petrum de Lutumeria perpetualiter in elemosina. Concedo etiam monachis apud ipsum Sanctum Petrum Deo servientibus ut habeant perpetualiter in elemosina de ipsis haiis ligna ad monasterium et molendinum et domos suas omnes tenendas, et pasnagium et omnes consuetudines suas quietas omnium possessionum suarum. Item sciatis me dedisse et concessisse pro Dei amore et anima regis Henrici avi mei, patrisque mei Gaufridi, eidem abbacie Sancti Salvatoris de Constantino ut habeant forum perpetualiter in elemosina die dominico apud ecclesiam Sancte Marie de Podiis, ita ut omnes in illo foro vendentes et ementes rectas consuetudines predictis monachis reddant. Item ego Henricus rex Anglorum do et concedo in perpetuum possidendam Deo et predictae abbacie Sancti Salvatoris omnem graveriam meam de Torgistorp juxta Barbeffluvium. Concedo et confirmo donum Guillelmi Soini quod abbacie Sancti Salvatoris ex suo impendit, terram videlicet suam de Lutumeria juxta Bruis et terram quam habebat in parochia Sancti Johannis de Quercubus in insula Gersoii. Item do et concedo abbacie de Sancto Salvatore singulis annis nundinas in festivitate Sancti Michaelis apud eundem

Sanctum Michaelem de Torgistorp perpetualiter in elemosina, ita ut monachi in eis capiant rectas consuetudines ab omnibus ementibus in eis et vendentibus. Item do et concedo predictae abbatie singulis annis nundinas perpetualiter in elemosina in feria quarta Rogacionum apud Sanctam Mariam de Podiis, ita ut monachi sine aliqua disturbance rectas consuetudines capiant ab omnibus vendentibus in eis et ementibus, undecumque fuerint. Item ego Henricus rex do et concedo abbatie de Sancto Salvatore omnem terram de Torgistorp in perpetuum quietam ab omnibus rebus et consuetudinibus michi pertinentibus, pro salute mea et pro anima patris mei Gaufridi regisque Henrici avi mei, omniumque antecessorum meorum. Ego Henricus rex do et concedo abbatie de Sancto Salvatore feriam apud Sanctum Leodegarium de Martrineio, ita ut monachi capiant in ea plenarias consuetudines, illumque locum accipio in manu mea cum omnibus terris et elemosinis eidem loco servientibus. Similiter do et concedo eidem abbatie ecclesias de Bruis et de Couvilla et de Girart et de Sancto Christoforo, sicut Adam de Bruis dedit illis.
Testibus : Ricardo Constanciensi episcopo, Thoma cancellario, Willelmo Hamonis Filio.